

Letter 192: 17 April [1524], Constance, Ambrosius Blaurer to Capito

The original manuscript of this letter is in Universitätsbibliothek Basel, Ki. Ar. 25a, #69.

Salutem. Reddidit mihi literas tuas Zuiccus noster, qui has ipse a te impetraverat, ornatissime Capito, simul et de rebus omnibus vestrae urbis eiusmodi narravit, quae nos vehementer cum oblectare tum etiam confirmare potuerunt, quanquam partim fama partim etiam libelli a vobis aediti, iam huius diligentiam anteverterant. Gratias certe agimus Deo nostro per Iesum Christum
 5 quod veneritis in comunione evangelii sui, et ita veneritis ut fides vestra annuncietur in toto mundo, iamque exemplo sitis omnibus liberis civitatibus verbum recipientibus in Germania, persuasum habentes hoc ipsum, Phil. 1: *Quod is qui coepit in vobis opus bonum perficiet usque ad diem Iesu Christi*. Est apud nos quoque, Deo gratia, successus aliquis verbi, sed quem aliquanto feliciorum optemus quam fuit hactenus, et tamen is etiam, qualisqualis est, non mihi,
 10 qui nec planto nec rigo, sed secundum Deum evangel[ist]is nostris, senatui et aliorum quorundam piaie sedulitati debetur.

Ego ut nihil hac parte possum, nisi quod orationibus interdum etiam consilio possum, ita nihil hinc mihi sumendum existimo, aliis qui suo studio et labore id merentur hanc gloriam lubenter, quod debeo, cessurus. Quae eo pertinent, mi Capito, ut intelligas Zuiccium me tibi
 15 amicus quam verius hoc nomine commendasse, quod sub mea manu evangelii negotium apud nostros procedere videatur. Senatus quidem mense abhinc sexto concionatorem me destinaverat templi Augustiniani. Verum cum ego gravatim admodum provinciam hanc suscipere viderer, quod vires meas huic impares nec diu suffecturas agnoscerem, pariter et nescio quae aliae turbae interciderent, ad haec ne abbatem meum maiore degravarem invidia alioqui plus satis mea causa
 20 gravatum, mutavit sententiam tantisper, dum aliam hic rerum faciem videamus. Itaque immunis hactenus permaneo ab hoc officio, nec est, cur suam hic vel industriam vel eloquentiam gloriosius iactitet provincialis vester Augustinianus, quasi suis consiliis et persuasionibus adductus senatus a coepto destiterit. Imo hoc tum magis accendebatur ille, quo vehementius ipse reclamabat, homo impudentissime procax, ita ut etiam se praesente declamaturus fuerim, nisi
 25 aliarum rerum ratio habenda fuisset.

Hic enim, si usquam, circumspecte agendum ducimus, ut ne quid temeritas officiat successui. Non quod praefractis istis et oculatis caecis hoc honoris habeamus, nam hos fortiter contemnimus, sed quod multorum adhuc infirmitati adeoque stultitiae inserviendum putemus. Atque haec etiam causa est cur publice receptas superstitiones hactenus nec antiquare nec in
 30 melius mutare potuerimus, ne scilicet novatio, cum in multis aliis, tum vero praecipue in fidei religione odiosa, vulgi simplicitatem offenderet. Nam nisi hic summam prudentiam, summam adhibueris modestiam, frangas citius quam revellas stirpium tenus, quae tam altas egerunt radices, quanque nunc assiduis vereque christianissimis declamationibus satis communita via est, quod ad vulgus sane adinet, ut nisi violentius obniterentur Antichristi, re ipsa praestaremus
 35 subinde quod ex evangelio ducimus. At isti perpetuo studio tuendae tyrannidis cursum nostrum quantum possunt pertinacissime remorantur. Sunt autem potentes adhuc, et carneo suo brachio, si mundum respicias, plurimum valent, vixque hactenus per horum ferociam obtinuiimus, ut circa rerum novationem conciones saltem liberae essent. Colludit denique cum illis pars aliqua, infirmior licet, senatus. Etsi ut ingenue dicam maior etiam et melior huius pars, dum plus satis
 40 observat episcopum, et mundi quandam tranquillitatem meditatur, civilior quam christianior multis apparet. Audebimus tamen aliquid vel invitis quoque inferorum portis, in his praesertim quae mutata plurimum refert, ne frustra nos admonuisse videaris. Vale, mi charissime frater, etsi

molestum non est, literis tuis frequenter nos confirma. Commendat se tibi germanus frater meus,
45 quo cum hic feliciter me vivere puto. Salutant te qui nobiscum sunt evangelii ministri, viri
prudentissime simplices et christianice candidi.

Saluta nostris verbis Hedionem, Matthaëum Zell, Buzerum, Loricium, Brunfelsium,
Patodium, cum toto sodalicio evangelico, et orate pro nobis, ut sermo Domini currat et
glorificetur, sicut et apud vos, et ut eripiamur ab absurdis et perversis hominibus. Ex Constantia
50 XV Calendas Maii.

Ambrosius Blaurerus tuus.

Hedionem praeter caeteros amantissime salvere iubeo, scripturus homini ubi primum per
occupationes licebit. Nam vehementer gratum fuit, quod in epistola ad Zuiccium meum tam
amanter mei meminerit. Atque utinam dignus sim tanti, hoc est tam eruditi et boni viri, simul et
omnium vestrum syncerissima amicitia.